

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXXIIX. Principium Mosellae Ausonii

urn:nbn:de:bsz:31-102564

XXXIIX. PRINCIPIVM MOSELLAE AVSONII.

Cogitanti Alsatiae origines occurrit Aufonius, (a) cuius et iucundissima cum Imperatore Gratiano consuetudo, et regionum, quae inter Rhenum Mosamque interiacent, multo studio comparata notitia fuit. Qui poemate condendo, quod Mosellam inscripsit, non tantum effinxit atque imitatus est scriptores optimos, sed etiam historiae scribendae cum primis dignitatem attulit, et quoad ego investigare potui, primus ex omnibus fuit, qui obita Alsatiae itinera, et principis in ea regione urbis *nova moenia* posteritati commendavit.

(a) *Diversus ab Aufonio Sophista, cuius Svidas meminit. Nostri similis, aut saltem pangendi carminis felicitate non inferior fuit Laelius Capilupus Mantuanus, de quo est apud Thuan. hist. lib. XXVI. Aufonis, qui Hispaniae fines seditiosis consiliis turbavit, nomen hoc loco alienum esse, per se est manifestum, de quo vid. Adelmus Benedictinus A. 826. 827.*

§. II. Equidem vivo adhuc Valentiniano, huius nominis primo, qui eum regendis Gratiani filii studiis acciverat, et postea Galliae Belgicae praefectum imposuerat, a Trebocis in Treviros profectus, Alsatiam transiit, et postquam Argentoratum, regionis caput muro circumdatum primo vidit, primis versibus, quibus Mosellam auspicatus est, hoc veluti monumento eius suscepti itineris memoriam conservavit.

§. III. Quae res causaque tam plana est, ut nisi iam illustrandi Aufonii data mihi occasio fuisset, isto sane instituto prorsus ac merito superfedere possem. Verum quia hoc negotium est eiusmodi, ut dignum usu tractationeque videatur, rationem inibo, quemadmodum Aufonio pariter auctoritas, et sermoni meo fides concilietur.

§. IV. Sed priusquam eo labore, sine quo omnis diligentia supervacanea futura est, defungamur, finium, quibus Alsatia separatur, certa esse constituta ratio debet, cum ut regnorum *Austrasiae Burgundiaeque* portiones ne confundantur, tum ut *Alemanniae* saepe in dubium vocatus limes quadammodo intelligatur.

§. V. Quod ubi facturum me recepi, initium ordiar a Comitatu *Pfircarum*, cuius in multis et pervetustis monumentis mentio fit, cuiusque certo fundamento nixum ius est, quem *Austrasiae* non recte annumeraveris, nec iure Alsatiae membrum dixeris, propterea quod ex diversa causa acquisitus est, atque adeo ratione primi acqvirentis dispari modo iureque continetur; *Rauracorum* quippe portio, et in fines *Antistitis Basileensis*, veri atque indu-

bitati

bitati Germaniae Principis descripta, eiusque beneficio diu et pacate ab Austria, et ante hos a Comitibus *Pfuretarum* possessa, quod codicillis publica fide firmatis, in quibus haec sequentia anno MCC LXXI. scripta sunt, doceamus. *Vlricus Comes Pfuretarum*: (b) *Noverint tam praesentes, quam posteri, quod nos Domino nostro Henrico Episcopo Basiliensi*: (c) (Basileae primus meminit Amm. Marcellinus lib. XXX. quam Ptolomaeus Augustam Rauracorum appellavit l. 2. cap. 9.) *nomine Ecclesiae suae, a qua una cum progenitoribus nostris nos multis beneficiis, feudis et aliis plurimis utilitatibus sublimatos* (d) *recognoscimus, et multipliciter honoratos, castrum et oppidum de Pfureto, etc. per manum et consensum Theobaldi filii nostri vendidimus, tradidimus, et in vacuum possessionem misimus, recipientes tam nos, quam idem Theobaldus filius noster, omnia praescripta in feudum seu beneficium, a dicto nostro Domino Episcopo Basiliensi, nomine Ecclesiae suae, praestito sibi a nobis fidelitatis corporaliter sacramento, etc.*

(b) *al. Ferretarum, vulgo ditioni Suntgoviae annuatorum. In Chron. Colmariensi part. alt. p. 51. Phirretae dicuntur.*

(c) *Basiliensi pro Basileensi, in diplomatis eius seculi, Chronico Colmariensi, et Alberto Argentineni legitur.*

(d) *id est, auctos ornatosque, atque una in meliorem altioremqve statum evectos, ut hac notione perfreqventer occurrit in tabulis Carolovingicis. In sequiorum temporum monumentis occurrunt formulae beneficiare, inbeneficiare, infeodare, iure feudali competere.*

§. VI. Vnde iure optimo existimare liceat, Rauracos, qui situs ratione ad Burgundiam pertinent, *Pfuretas* lege beneficiaria sibi obnoxios habuisse, et a multis inde seculis in ditione imperioque retinuisse, quod non fingimus temere, sed ratione usque annalium comprobamus, adeo ut rerum conversio Alfatiarum Comitatus *Pfuretarum* dignitati atque iuri separato derogare non potuerit, si Domus Austria pacis firmandae remedium omittere voluisset, quae cum propter consolidanda Germaniae vulnera iure suo cederet, tum Rauracorum Antistiti id grave permolestumque est visum, quod in actorum publicorum commentarios retulit Michael Caspar Lundorpius.

§. VII. Id vero aliunde perspectum est satis atque cognitum, Basileam Rauracorum caput ac veterem sedem ambitu Burgundiae comprehendendi, et ab Alfatia Sundgoviaque secerne, in qua re praeterquam quod scriptores graves mihi assentiuntur, VVippo quoque eruditione ac sacerdotii gravitate eximius vir, et dum in vivis esset, Conrado Saliqvo a sacris, firma constantique sententia suffragatur. *Basilea, inquit, civitas sita est in quodam triviali confinio, id est, Burgundiae, Alemanniae et Franciae: ipsa vero civitas ad Burgundiam pertinet, p. 431. edit. Pistorianae. Quae causa est, quod Adelmus Burgundiam Alemanniae conteminit* scripsit,

scripsit, An. 1323. De Vngarorum ex Alsatia in proximam Burgundiam transi-
tu, irruptioneque vid. *Ekkhardus iunior cap. 5.*

§. VIII. De Alemannia longum est dicere, praecipue si quibus illa spatiis
contineatur, quibusque finibus ab unaquaque vicinarum regionum distet,
com. e. norare instituum, cum quod eius populi semper incertae sedes variae-
que migrationes fuerunt, tum quia tot accessiones deminutionesque finium
ibi factae sunt, ut vix in Alemannia reperiri posse Alemanniam, multi nec ineru-
diti viri arbitrentur. (e) Sed omittam in praefens vetus Alemanniae regnum
(f) quippe exhaustum bellis olim atque penitus eversum: tantum de Sveviae
ducatu, in quantum Alemanniae (g) nomine insignitur, addam, saepe de eius
limite acriter quoque esse disceptatum, Alsatiaene an Alemanniae, an Raura-
tia pars haberi debeat. (h) Primum Habsburgii, alterum Zaringii, postremum
Episcopi Basileenses omni contentione animi propugnarunt, quod praecau-
tum provisumque a Gallis est, quando de Alsatia in satisfactionem sibi danda
cum Ferdinando III. pacifcebantur. Etenim ut maxime videri posset, Bresa-
cum inter avitas patrimonii Habsburgii accessiones numeratum, Alsatiae supe-
rioris antiquissimam esse portionem: tamen ut omnem dubitandi occasionem
praeciderent, certumque ius constituerent, quippe non obliti, propter muta-
tum Rheni alveum (i) eius orae limitem haud septum satis munitumque fuisse:
convenit, ut diserte et separatim in cessionis instrumento exprimeretur,
(k) siquidem fraudi esse posset, si sub nomine tituloque Alsatiae una eius facta
ab alienatio intelligeretur: propterea quod in cessionis instrumentis per stri-
ctas interpretandi rationes minime talis cessio admitti posset, quae pro coniun-
ctis haberentur, quae revera separata dissimiliaque essent. Cuiusmodi est
controversia, quae nuper Gallos inter Hispanosque orta, (l) usque ad hodie-
num diem ducitur, quoniam melior est causa Hispanorum, non incerto, ne-
que fallaci fundamento innixorum, quod apud omnes gentes haec interpre-
tandi ratio recepta sit, ut generali sermone ne intelligatur, quod expressè speciatimque
est nominandum, praesertim in alienationibus, aliisquod odiosis, et striete explicandis. Ne-
que id non valet in donationibus, ut recte ab Hugone Grotio traditum est
lib. II. de iure belli et pacis cap. XVI. n. 3.

(e) *Gasp. Barthius in Gvil. Britonem lib. 1. Philipp. p. 36. singularem librum de eo
argumento promisit Melchior Goldastus, quem omnino desideramus.*

(f) *Destructum atque in provinciam reductum est a Clodoveo Francorum rege.
Gr. Turon. l. 2. cap. 30. conf. Crus. part. 1. annal. Svecv. l. 8. cap. 9.*

(g) *Otto Frising. lib. 1. cap. 8. Valafridus Strabo de Vita B. Galli in prologo.*

(h) *Seb. Munst. Cosmog. l. 3. cap. 57. Chr. Vistisus Basile. Chron. lib. 2. cap. 20.*

(i) *V. I. G. Kieffer. de Domo Austr. quaest. 26.*

(k) *Inst. Pac. Monaster. §. Tertio imperator.*

Zzz (b)

(l) Pax

XXXIIX. PRINCIPIVM MOSELLAE AVSONII.

(1) Pax Aquigranensis §. 2. 3. cuius occasione lis coepta est de dependentiis, ut vocant, castrorum Conde, Linke, non secus atque anno 1658. super insula Hluena inter Danos Svedosque in pari dependentiae argumento controvertebatur.

§. IX. At quia haec uberius tractare non vacat, nunc danda mihi opera est, ut veteres Alfatiae res paulo ab suis principiis repetam, et priusquam ad reliqua progrediar, admoneam, pervetusto pagi *Elifatii* nomine in priscis Francorum monumentis celebrari. In supremis Karoli M. tabulis appellatione Austriae includitur, quia exploratum est, Austrasiam, cuius Alfatia pars est, antiquitus dictam esse Austriam, apud *Fredegarium cap. 100. Aimoinum lib. 4. c. 11.* Neque est, ut praetereamus, titulo comitatus auctam, sigillatim nominari, cuius rei cum multa documenta sint, tum explicite abundanterque constat ex *tabula pacti divisionis, inter Karolum et Hludovicum anno 1370. imiti, apud Petr. Pitheoum p. 489. Frodoardo, uno inter aequales suos fide auctoritateque maxime spectato, ad An. 1439. Aimoino lib. V. cap. 25.* Quae testimonia quin rata firmaque sint, nullus dubito, et opportune nunc recordor, Hludovico Pio in *Alifatiam (m)* profecto res haud feliciter cecidisse, propterea quod ibi splendor atque maiestas eius valde imminuta, et magna ipsius beneficia maioribus maleficiis compensata sunt, usque eo ut loco dimotus, velut supplex miserationeque plenus, prostratae imperii auctoritatis exemplum esset, *annal Franc. an. 1333.* In diplomate Trudbertino, quod auctoritate Arnulphi imp. corroboratum est, Alfatia, quae tunc sine dubio in Comitatum descripta erat, sine adiectione nominatur. (n)

(m) *Alisontia*, cuius meminit *Ausonius, Mosell. 371.* non regionis, sed fluvii nomen est, qui quarto supra *Confluentiam* lapide se in *Mosellam* exonerat, diversus ab eo, qui in ducatu *Luzenburgico, Surae fl.* iungitur: neque cum *Alva, sive Albe,* quem *Mosella* in regione *Trericorum* excipit, confundendus. Ab eo dictus videtur pagus *Alsenzgovve,* *sama* huius nominis vetustateque inclutus, *V. Freherus in Mosell. h. l.*

(n) *Nithardus l. 3.* *Elisazam* nominat, in qua *Tabernas* per *Zabarnam* designat.

§. X. A Francorum monumentis discedenti venit in mentem *Everhardi*, minime dubii et certis argumentis explorati *Alfatiae Comitae*, quem *Chronica Australis*, quae dicitur, hoc nomine tituloque appellavit, ut ab *Everardo* Francorum caute distingvatur, anno 1439. Quod tamen non eo pertinet, ut negemus, *Alfatiam* aliquando in ditione potestateque *Ducum* fuisse, sed ut intervalla temporum personarumque recte partiamur, qui alioqui multis rationibus documentisque confectum habeamus, fuisse tempus, quum *Alfatia* post *Comites* etiam *Ducibus* pareret. Illudque cur dignum censeamus, ut commemoretur, praecipue effecit *Detmarus Merseburgensis*, qui libro quinto haec scribit. *Dux* autem ut *audiret sua a rege praedata, nondum volens hominari, sed, pro dolo, contra dominum et regem exaltans se, caput ducatus sui Argentinam, quae *Strasburg* dicitur, (o) quia *Episcopus* eiusdem urbis *Vvicelinus* sibi resistere praesumpsit, cum*

Conrado suimet genero, milite petie armato, murosque ascendens; nil victis reliquit.

(o) *Amm. Marcellino Argentoratus lib. 15. in diplomatis Francorum Strazburgus, sive Strasburg annal. Fr. Pith. anno 842. Strasburgensis urbs Regim. an. 805. Argentaria apud Nithardum l. 3. Argentinam interpretatur Aimoinus lib. 5. cap. 25. Nunquam Episcopos dominos habuit, sed ab imperatoribus et regibus, quondam per Advocatos regebatur, qui non sunt confundendi cum advocatis generalibus, sive imperialibus, multo minus cum Advocatis Alsatie provincialibus; Sed advocatia Urbis Argentoratensis dudum desit: alius generis est X. Alsatie civitatum, de quibus vid. instr. pac. Monast. S. itemque dictus.*

XI. Caeteroquin dum sub iurisdictione comitum regebatur, saepe in antiqvis ac luculentis tabulis sine adiectione *Elisatium* nominatur, cuiusmodi est, quod an. 1468. scriptis mandavit Otto I. imperator, et vindicata Aufrasia non magis de Alsatia, quae illius pars est, quam de Germania, ad cuius ditionem utraque pertinet, meritis *V. Orig. Palat. Fréb. part. 2. p. 82.*

XII. Quapropter non ferunt nostrae rationes, ut iis assentiamur, qui Alsatiam, quam Aufrasia inde ab anno 1342. concludit atque comprehendit, Ducatus Alemanniae ditione circumscriptam, incertas fabulosasque origines secuti putant. Vt cumque enim aliquando Principum Alemanniae fortunam secuta fuerit, et statum famamque eorum auxerit, non tamen propterea ipsis obvenit ex eadem causa, quae ducatus Alemanniae: multumque abest, quo minus Alemanniae nomine proprio atque usu sermoneque historicorum recepto Alsatia contineatur. (p) In quo negotio ut deseramus *Gasparem Bruscbium*, virum alioqui in omnibus notitiae Germanicae partibus versatum, etsi pleraeque eius sententiae iudiciaque a rebus, quas pertractat, dissentiunt, neque ab exquisita ratione disciplinaque civili semper proficiuntur.

(p) Alioqui non modo abusive multi notione Alemanniae, sed etiam Alsatie utuntur: ut quando *Henricus Stero* Urbem Nemetum Alsatie civitatem vocat, an. 1291.

XIII. Insequenti tempore nomen ducatus cum nomine dignitateque *Landgraviatus* commutatum est, quod cum inspectis seculi XII. tabulis notissimum sit, tum certa compertaque documenta proferre possum, ex quibus intelligitur, Habsburgios vergente hoc seculo accessione tituli Landgraviatus Alsatie famam existimationemque suam amplificasse. Excepto quod de primo eius summi tituli initio difficultas nonnulla superest, neque inter scriptores, in quorum aequali continuataque diligentia plurimum desidero, convenit, quis tandem ille sit, cui haec primordia accepta referantur. Ego studii odiique causas procul habens, Guntramno diviti, Habsburgiorum conditori, (q) haereditate comitatus *Vindonissae* aucto, novisque bonis fulto, multum ex ea re dignitatis potentiaeque accessisse fateor, sed primum fuisse, qui Landgravii Alsatie

titulo uteretur, adeo non compertum habeo, ut quoque firmis argumentis contrarium demonstrare possim. Equidem regnante Ottone I. cui suppar Guntramnus fuit, nullum vel vestigium *Landgraviatus Alsatiae* definire sic appellati invenias, sive diplomata, sive *chartas*, sive omnes, quotquot incorrupti etiamnum durant, commentarios evolvas. De caetero Guntramnus in vivis esse desit an. 846. (r) quo nec dum Otto I. Romanorum imperator fuit, nec Romanorum imperatoris titulum sumsit, neque ante annum 962. sumere ulla iuris specie potuit, aut voluit. Atqui sub id tempus vel *Alsatia* sine adiecto comitatus (f) nomine, vel duntaxat *Comitatus* dicebatur.

(q) *Guntramnus ab Erchinoaldo, ultimo huius gentis stirpe descendit, a quo dicitur linea Erchinoaldina, unde oriundi sunt Habsburgi, cui vetustate respondet Arminipina, a qua oriuntur Carolingi. Infra vetustatem utriusque est linea Capetingica.*

(r) *V. Genealogia Guntramni a Guillimanno collecta, et Chronico Constantensi a Io. Pistorio inserta p. 671. seq.*

(f) *Non equidem me latet, sequioribus temporibus Comitatus nomine sine adiectione posito intelligi interdum Comitem provincialem, apud Monachum Lauterburgensem, ad an. 1130. sed id non est ex usu Ottoniani aevi.*

§. XIV. Iam Guntramnus ex tanta tamque praeclara haereditate insignem utilitatem, quae haud parvum firmandae eius successorum potentiae instrumentum fuit, consecutus, sumendi *Comitatus Alsatiae* tituli facultatem habebat. Verum id parco titulorum aevo sive ob moderationem temporis convenientem, sive ob vitandas forte aemulationes contentionesque multo post usuvenerit, primusque coepti huius instituti annus M C LXXXVI. illustre atque ad posteros insigne documentum attulit, excitato sane ad augendam familiae gloriam Adelberto, ut iure auctoritateque sua fretus *Landgravius Alsatiae* titulum auspiciatissime ante omnes alios usurparet. Quod nec inficari ausus est David Blondellus, (in praefat. *Apologet. contra Alsatiam vindicatam* Iohannis Jacobi Chiffletii.) vir omnis quidem antiquitatis scientissimus, sed Gallici nominis caritate in contrariam saepe sententiam abreptus, ut non tam veritatis quam aemulationis causa certa quaedam et firmis monumentis rationibusque constituta historiae civilis capita in dubium vocaverit, et inde etiam laudem captaverit, ubi spem occasionemque haberet displicendi Austriis, et detrahendi de gloria imperii Romanorum.

§. XV. Is ab animo partium studio impedito impetrare non potuit, ut *Alsatiam* in rebus ad patrimonium Habsburgicum pertinentibus numeraret. Cuius ratio qualis sit, verba subiecta ostendent, quibus oppugnat nostram sententiam. Duo tamen, inquit, hoc loco notaverim, eorum (Habsburgi Comitum) *Landgraviatum* patrimoniale dominium non fuisse, quandoquidem principalis eorum titulus fuit *Comitatus Habsburgi*, accessorius vero *Landgraviatus*, quem priori ipsi-

met subiungunt. Sed dum ita statuit, neque colligit recte, neque iudicat sincere, propterea quod structura titularum ad libera gentium instituta pertinet, quam cum Habsburgii, antiquissimi totius Germaniae Comites, arbitrato suo quondam adornarunt, tum honori suae gentis, non fraudi esse voluerunt. Etenim eo tempore, quo primum asciverunt sibi Landgraviatus Alsaciae titulum, ipsis fuit integrum, praeponere eum, aut postponere, quem tamen perpetuo usu summoque consensu titulo comitatus Habsburgici postposuerunt. Quod quamobrem factum sit, existimo non aliam subesse rationem, quam quod Landgraviatus Alsaciae definito hoc principalis dignitatis nomine charactereque sumtus, ad patrimonium Comitatus Habsburgici iam diu ante constituti adiunctus, atque ex diversa causa, et longo post tempore acquisitus fuit. Proinde ad acquirendi ordinem temporisque notationem spectat, quod Landgraviatus Alsaciae iam antiquissimo inde more institutoque titulo Comitatus Habsburgici subiungitur. Non secus atque apud caeteros Germanos solet, quod vel exemplis Ducatus Saxoniae, et Marchionatus Brandenburgici declaremus. Vtrisque enim postponuntur nomina dignitatum officialium imperii atque electoratum, nec propterea tamen haec illis inferiora sunt, aut pro accessionibus, ut loquuntur, non patrimonialibus horum Principum Electorum habentur. Idque tam multis ac veris indiciis aliis mihi est perspectum, ut ne quidem dubitare liceat, illo Landgraviatus Alsaciae titulo civile imperium, sive ut Blondellus nominat, patrimoniale dominium fuisse designatum.

§. XVI. Nec dum ab ea mente desistit Blondellus, libenter et cupide institutum persequens, quod antea neganti, nunc etiam dubitanti idoneum videtur. Quod cuiusmodi sit, ex sequentibus licet intelligamus. Landgraviatum illum (pergit) nec Alsaciae totius, nec forte haereditarium fuisse evincit fragmentum vetus Alberto Argent. praefixum, quo docente A. D. 1236. Henricum Comitem provincialem Alsaciae sine haerede denatum discimus; quo tempore Albertus Rudolphi regis parens vivebat. Sed frustra obnititur Habsburgiis, (r) neque ideo res Austria in discrimine est, quod sensim auctoritate atque opibus crevit, et diverso tempore plures amplioresque imperii accessiones habuit, et secundis, quas in divinis beneficiis ponit, rebus usa sic se extulit paulatim atque firmavit, ut magnitudine potentiae dignitatisque in omnes orbis terrarum partes longe ac late se diffundat. Nam et in partitis rationibus ius inest, et pro certa portione etiam aliquid recte possidetur, constatque Aufrios iure stirpis sanguineque ad cernendam Henrici, ultimi ex comitum Egesheimensium propagine Landgravi, haereditatem proximos fuisse, et quod antiqui annales ferunt, ipsos quoque Egenheimenses, quorum casu adverso orbitateque tandem deletus est principatus, ab stirpe Habsburgia descendisse, ac

morte sua Alberto Sapienti Habsburgio ius, quod neque vis, neque temporum invidia eriperet, certum efficacique ad succedendum reliquisse. At vero quando familia Egesheimensis defecerit, sententiis rationibusque diu est variatum. (u)

(t) Landgravorum Alsaciae Habsburgo-Austriorum series atque successio vid. lib. 8. p. 409. seqq. apud Lazium. Quamquam et ibi more suo fabulas admiscuit.

(u) VVolfgangus Lazius, numerat annum M CC XXXIIX. de gent. migrat. lib. 3. pag. 93. Alii diversum sentiunt, et multum de his rationibus detrahunt, annum M CC XXXI. Ego iure adiungo, qui familiae Egesheimensis terminum in anno M CC XXXVI. ponunt, auctoritate fragmenti veteris, quod in aditu operis, titulo chronici Argentinesis inscripti est conspicere, quod cuius pretii sit, non attinet nunc inquiri. Alioqui multa mihi oblata sunt diplomata, in quibus Comites Habsburgii post Episcopos et Principes, quin etiam post Kyburgenses comites collocantur: quod forte novum posset esse causae Blondellianae praesidium, nisi mihi compertum esset, talia, etsi vera caeteroquin ducenda habendaque sunt, non continuo valere ad asserendam praerogativam, ubi causae praerogativae non disceptabatur. Recordor enim alias in tabulis pactorum, atque diplomatis aliis saepe legisse eos antepositos, qui in iudicio controversiae praecedendi maxime postponi debuissent. Atque eo allegare liceat transactiones inter Episcopos et Duces initas, in quibus hos quoque illis praepositos invenias, salva alioquin cuiusque dignitate et praecedenti iure.

§. XVII. Haud rectius censeretur, quod Blondellus, ubi in opinionem contrariam discescit, conatus est probare, Alsatiam non modo sub Habsburgiis non fuisse haereditarium principatum, sed ne quidem regni Germanici proprie dictum membrum posse appellari. Quod erroris culpa non vacat, atque eiusmodi est, ut appareat, eum in hac causa sincere scribendi vel nullam, vel sane exiguam rationem habuisse: quippe qui nescire non potuit, Alsatiam ab eo tempore, quo imperium Karolinum partitis rationibus a Ludovici pii filiis possideri coeptum est (x) a confociatione Gallica separatum, atque ab aevo inde antiquissimo semper atque sine dubitatione ditionis Germanicae fuisse, et lingua, moribus, institutisque finilibus in unam gentem nationemque coaluisse, ac sub regum Germaniae auspicio imperioque floruisse, nec non iura iussaque ab iis descripta coluisse, et si eos minus digne reverenterque tractasset, atque ab officio discescisset, lege imperii ad obsequia redactam, sub uno Teutonici populi nomine atque communi iure fidem servasse. Quibus iudiciis atque rationibus plane aper-

(x) V. Regino an. 842. 855. 869. 886. Continuator Reginonis an. 923. quo Carolus simplex Alsatiam, quae in Ludovici Germanici posteris permansit, sibi destinavit, sed non obtinuit, et paulo post ipsam quoque Lotbaringiam vero suo domino Henrico accipi restituit.

aperteque declaratur, Alsatiam sine contumelia Germanicae iurisdictionis, ac sine evidenti iniuria erga divos Caesares regesque a Germaniae membris proprie nominatis divelli non debuisse atque separari. (y) Quod luculentis documentis, quae magno numero in promptu sunt, conficere possem, si mihi consilium esset, haec longius prosequi, resque amplius institutum ferrent. Tantum sufficiant, quae in eam rem prodita sunt a Frodoardo *Chron. ann. 928. 939. 940.* VVitichindo Corbeienfi *annal. i.* Ottone Frisingensi *Chron. lib. 6. cap. 18. 19.* Sigeberto Gemblacensi *ann. 923.* qui graviter atque diligenter annotarunt, partem Lotharingiae, quam Carolus simplex, extincto sine liberis Ludovico Franco-Teutonicae propaginis, quae per Hludovicum Germanicum descendit, ultimo, regibus Germaniae, ad quos iure pertinuit, praeripuerat, Henrico Aucupi, tanquam legitimo et supremo eius domino redditam, (z) ac post ab Ottone M. vindicatam fuisse. Non me piget referre Sigeberti verba, quod non modo iis pax foedusque, quae pactione Bonnensi continentur, sed etiam cessio Lotharingiae una ibidem facta indicatur. *Reges Henricus (Auceps) et Carolus (simplex) apud Hunnam consoderantur, Carolusque reddit Henrico regi regnum Lotharingiae, episcopis et comitibus utrinque iurando rem confirmantibus.* Vnde expeditum est intelligere, et foedus, et cessionem in conventu Bonnensi esse factam: deinde isthac cessione Henricum quae regem Germaniae, atque adeo postliminio et nomine ditionis Germanicae Lotharingiam recepisse. *Foedus exprimitur in eo instrumento et nominatur unanimitatis pactum, ac societatis amicitia quae sita repertaque Cessio ex historia colligitur atque demonstratur.* Quod de confirma-

tione

(y) Nam sive proxime, sive interiecto alio aliquid alicui sit coniunctum sane pars erit, si ea coniunctione fiat, ut aliquid totius ratione censatur. Atqui Alsatia fuit Lotharingiae tanquam insignioris Germaniae membri membrum; proinde et certe rationis, et manifesti iuris est, Germaniae tanquam integri et perfecti civilis corporis membrum fuisse. V. infra.

(z) Per idem tempus factum est Bonnense cessionis instrumentum, quod ann. DCCCXXI. inter Carolum simplicem et Henricum Aucupem factum est, idque respicit Frising. l. 6. chr. cap. 18. dum Belgicam, id est, Lotharingiam Henrico Aucupi cessam memorat. Primus autem inter Franciae occidentalis separatae reges Carolus Calvus, divisione alicui patrimonii, quod mortuo sine liberis legitimis Lothario iuniori, Ludovico II. imp. debebatur, cum Ludovico Germaniae Rege, ad quem demum extincta Lotharii senioris imp. propagine iure pervenire debuit, anno DCCC LXX. accepit: deinde anno DCCCXII. mortuo Ludovico, Arnulfi filio regum Germanicorum familiae Carolinae postremo, Carolus simplex Caroli Calvi nepos Lotharingiae regnum invasit, ac postea Bonn. DCCCXXI. Henrico Aucupi, tanquam vero et legitimo Germaniae regi, ad quem ex causa primorum acquirentium regum Germaniae iure sane pertinebat, solemniter cessit attribuitque.

tionem episcoporum Comitumque memorat, id recte sibi constat, et subscriptis eorum nominibus quoque comprobatur. Nisi quod anni numerus, quem init Sigebertus, eventis non respondet, quo errore alias minime vacat, et mendum sine dubio a librario est admissum, dum *Hunnam* (qua Vnnam Comitatus Marcani urbem denotatam esse, videri posset) scripsit, cum nullus eorum regum conventus, qui quidem apud Vnnam habitus sit, ab ullo vero atque antiquo scriptore commemoretur, omnino autem eius apud Bonnam habitus certa atque luculenta sint documenta. Suffragatur Frisingensis, et per antiquum illud ac propter duorum regum conciliationem insigne ad posteros atque famillud ac propter duorum regum conciliationem insigne ad posteros atque familia celebratum pactum copiosius exponit, *lib. 6. chr. cap. 18.* Quapropter Alsatia, omnino proprie *membri Germaniae* nomine continetur, quia uno quondam summo imperio continebatur, et quod a tempore ultimorum Germaniae regum in Germania, tanquam integro, ius valuit, idem in Alsatia, tanquam membro, una gentis iurisque societate coniuncto omni seculorum memoria semper valuisse intelligitur, certo *membri* sive *partis* argumento, cum, quod *est pars partis, non possit non esse pars totius, et quod iuris est in toto, idem esse in totius parte,* omni ratione, et iuris etiam praescripto formulaque videatur. Quod ita evidens est atque certum, ut Otto M. affirmaverit, *iuris regni sui esse Elifatium, in tabulis ann. 968. confectis:* et in ordine ac numero regionum Germaniae ab Herico Aucupe defensionum reposuerit Sigebertus, *ann. 922. et ipsam demum Lotharingiam provinciam Tevtonicorum appellaverit Frisingensis, lib. 6. chron. cap. 19. (aa)*

(aa) *V. Liuthpbrandus Ottoni I. supplicat, et consiliorum eius rerumque scientissimus, hist. lib. 4. cap. 14. ubi iustitiam belli Alsatice Otto verbis ipse suis exposuit ad milites. Continuator Reginonis ann. 939. ubi Brisacenses Castellanos in fidem clientelamque Ottonis rediisse testatur. Fuit alioque Bresacum apud Germanos fere, quod apud Romanos Ctesiphon, expeditionibus fatalis, et iam in Antonini itinerario memoratum nomine MONTIS BRISIACI.*

§. XVIII. Etsi vero Alsatiae status saepe varius fortunaque interdum inclinata fuit, tamen sub Germaniae regibus stetit semper atque floruit, denique publicae quietis causa regi Galliae, cui ob situm ac propinquitatem utilissima est, nomine satisfactionis A. MDCXLIX. traderetur, ita ut eam supremo iure haberet, et cum finitima Germania pacem concordiamque coleret. Cuius rei causae cum fuissent omnino multae et graves, tum pro conditione illorum temporum hanc conciliationis rationem iniri oportuit, quae care Austria corripuit, cum quod ea re ipsi magnam aviti patrimonii partem, tum quod Germani, qui Rhenum accolunt, praesidium securitatis suae amittebant. Quae cessio Hispanis adeo permolesta accidit et acerba, ut contra obstantes pro iure suo, quippe quod nascendi forte sanguinisque iure acquisitum, invitis ac nullo

le meritis suis regibus auferri non posset, strenue anniterentur. (bb) Eo confilio pacis pactionem apud VVestphalos factam, in quantum in capite cessae Alsatiae iuri ipsorum contraria erat, omnibus modis oppugnabant, et ut recte atque ordine hoc inprimis arduum et forense negotium perficeretur, causae defendendae partes eodem anno, quo expetita Europae pax coaluit, Petro VVeimio ad conventum Monasteriensem legato imposuerunt, qui publico decreto intercederet, et usitata ritus iuridici formula praedictum cessae Alsatiae caput iniuste factum diceret, et cur a rege suo admitti non posset, causam solenniter indicaret. (cc) Altero post anno, quam pace rebus Europae consultum erat, Iohannes Cuyermanns rursus contra obtestandi mandatum accepit, muneris sui non immemor, ac in tali cogitatione defixus; ut cessionem, quamlibet ab summa potestate factam, reiiceret prorsus, ac publica contradictione destrueret, irritamque fieri postularet. Hunc secutus est vir doctus, et rerum Hispanicarum apprime peritus Iohannes Iacobus Chiffletius, eques et archiater sui regis, qui Hispanorum ius, quod quidem ad ipsos ratione Alsatiae et Sundgoviae pertineret, singulari libro, qui *Alsatia vindicata* inscribitur, tuendum propugnandumque suscepit: Propterea quod id de sententia Hispanorum tale esset, ut transigentium arbitrio ad inferendum domui Burgundicae damnum permitti non debuisset, ut quae ibi et constitutum recte patrimonium, et haereditarium insuper patrocinium antiqua, et iusta possessione firmatum obtinuisset. Quae praetensio, quanquam tranquillitati publicae remitti debuit, tamen mox velut classicum maioris belli inter Gallos Hispanosque fuit, ac diu incerta eventus expectatione omnium animos suspensos tenuit, usque dum pace apud Pyrenaeos montes inter utrosque reges instaurata, illa sane temporum miseria difficilis et multi sanguinis impendio agitata controversia, Anno M DC LIX. finiretur. Iam certa tranquillitatis in Alsatia retinendae spes erat, si neque ulla cuique fieret molestia, neque iniqua conditio ferretur. Sed quia subinde a praefectis regis potestate sua abutentibus multa suscepta sunt, quae

Zzz (c)

iustis

(bb) Ludovicus Mendez de Haro, prudentissimus Consilii Hispanici Administer, cessa Gallis Alsatia, Germaniam compedibus vinctam, graviter censuit. Sed illa cessio necessitate, quae legem non habebat, excusanda, neque tamen dissimulanda occultus erga eam metus Gallorum, inprimis quando pacem VVestphalicam, qua tuto inniti poterant, a nemine laeserunt, et culpa sua ipsi se iurium per eam partorum securitate privarunt, siquidem haec talia pacta semper conditionem habeant capitum conventorum ab altera parte praestandorum: Ut ita demum in futura pace rebus praesidiumque superioris pacti sit collocandum.

(cc) Extat apud Chiffletium in *Alsat. vind. cap. 12. unde repetit Limnaeus annot. ad capitul. Leopold. pag. 902. seqq.*

iustis de causis decem imperiales civitates recusarent, et ut de quærimoniis suis cognosceretur, impetrarent, res ea genti in dominatum incumbenti vehementer coepit esse suspecta. Nihilominus Germaniæ grave erat hoc dissidium, ut quæ maxime vellet cuperetque servari pacem, et nil minus optaret, quam dari sibi causam, quæ ad bellum excitari posset. Idcirco rex subinde monitus rogatusque est, ne pateretur præfectos contra transactionem VVestphalicam admitti, nec sineret, ut cessionis capita bona fide approbata ad alieni iuris fines porrigerentur. Atque illuc valuit consilium, quod imperiales X. Alsatiae civitates, et Ordo equester anno c. l. cc. lxx. quo Enfishemii (dd) tribunal, quod vice regis iudicaret, institutum est, opportune iniverunt, et per delegatos idonea iuris formula libertati privilegiisque suis caverunt, adductis in eam rem argumentis, quibus docerent, ampliorem illi tribunali potestatem attribui, quam per pactum Monasterii conventum liceret: ad hæc fas æquumque esse, ut Galliae rex in Alsatia non plura iura sibi arrogaret, quam domus Austria, in cuius locum successisset, ibi quondam habuisset: idque ut fieret, cum ad firmandam pacem, tum ad iustitiam pertinere, nec posse se discedere à vestigiis maiorum, qui omni iure et semper cognitionem tribunalis provincialis defugissent. Nec dum vero talium disceptationum optatus exitus fuit, sed anno c. l. cc. lxxii. superior controversia cum quadam acerbitate denuo excitata, et vis etiam libertati facta est, unde et turbandi eius limitis non vana suspicio et periculum crevit, neque sic tamen omisit Germania pro retinenda concordia anniti, et summa ratione ad tollendas eas lites consilium operamque contulit. Inde tractum disceptando tempus, et quia rex supremæ præfecturae titulo, contra ius inveteratumque morem iusiurandum talibus verbis conceptum, quod re ipsa civile obsequium et subiectionem denotaret, a X. illis civitatibus exigere pertendebat, magni labores imperii et arbitratorum eo delectorum susceptae consultationes impendiaque omnia irrita fuerunt. Rex enim auctoritate sua cupiens finire controversiam, non paciscendo, quomodo cum civitatibus alienae ditioni subditis agi oportuit, sed iubendo rem totam perficere statuit, factusque ab iis alienior anno præcipue c. l. cc. lxx, quo apparuit, qualis animus regis esset, vim parantis, si formula, quam præscripsisset, repudiaretur. Nec dum vero istius litis rationes expeditae sunt,

post-

(dd) *Diar. Europ. ad ann. 1658. d. 25. Octobr. submissa protestatio contra Edictum pro novo Alsatiae Parlamento ann. 1657. in urbe Metensi promulgatum, ibidem: ex eoque H. Brevv. hist. decennal. lib. 3. p. 289. Fuit aliogvi iam olim Enfishemii senatus Alsatiae ab Austriis constitutus, uti Haganoæ præfectorum sive Advocatorum provincialium Alsatiae tribunal: eam urbem Fridericus Acnoharbus valde excoluit, et muro præclato circumdedit. Conf. Thuan. hist. ad ann. 1552.*

postquam bellum Lotharingicum eodem tempore occulte atque dissimulanter comparatum, magnam insequentis conversionis significationem dedit, et non diētis modo civitatibus, sed Germaniae etiam pro finibus suis anxiae, et quo ista regis irruptio spectaret, sollicitae metum intulit. Etsi vero nil omisum est cum reducendae pacis, tum restituendi Ducis gratia, tamen rex violati pacti causas destinatis occultioribus speciosissime praetextens, neque intercessione, neque legatione persuaderi ac inflecti potuit. Iam utrinque perspici poterat, quid ex regis finitimi actionibus sperandum esset, et quo nixa illa tantis opibus copiisque consilia valerent. Nec fallebantur opinione, cum anno cō hoc LXXII. Foederati Belgii calamitate monerentur, ut nil moderatum a Gallia expectarent: quod cum maxime ad curam Caesaris auctoritatemque Imperii pertineret, sociorum Batavorum Principumque imperii iniurias negligere non potuit, gravibusque adeo causis et tempestivis Hispanorum consiliis inductus est, uti pro dignitate sua, quam laesissent Galli, et tuendis imperii iuribus, quae immisso peregrino exercitu violassent, arma caperet, principesque imperii, quorum libertas petebatur, amicitia et foederibus sibi illigaret, ac honestis rationibus eo adduceret, uti uno animo atque consilio secum statuerent, pro imperii hostibus habendos, qui imperium nulla data causa oppugnatum belli molestiis vexassent. Quo turbulento Germaniae statu decem illae civitates, quibus sub tutela regis Galliae tanquam supremi earum praefecti omnino vetus libertas, constare debet, in multa et maiora, quam antehac, pericula venerunt, et sub iugo belli Gallici duriter habitae vehementerque afflictae sunt: unde ut expediantur, redeantque in pristinum statum, iure armisque est annitendum, et ut coepta Nimegae dissidentium partium conciliatio feliciter succedat, ac totum quoque hoc negotium recte perficiatur, Germaniae refert, atque ad officium de pace deliberantium spectat, et Caesaris praecipue gloriae convenit, ut respublica antiquis legibus denuo firmetur, ac iusto bello dignam tandem ac publice utilem pacem consequatur.

Praefectura sive Advocatia Alsatica, quae in huius argumenti disquisitione posita est, est vel generalis, cuius tribunal olim Haganoae constitutum fuit, vel specialis et definite in X. imperiales Alsaciae civitates attributa, vel singularis, quae quondam ratione Argentorati (ce) conveniebat, et a Rudolpho Habs-

Zzzoz (c) burgio

(ce) Argentoratum a tempore Ottonis III. Imp. salvis iuribus et fidelitatis imperialis obligatione, a formula iuris iurandi fidelitatis Imp. praestandi praetendit se esse liberum, et consuetudine perpetua hoc exemptionis privilegium, salva ceteroquin obedientia erga supremum dominum, contra quem praescriptionis praesidium non esset valiturum, tueri. Eo vid. Epistola excusatoria apud Lund. l. IX. Act. publ. p. 705. Diar. Europ. ad an. 1660.

burgio emptā, postea cessavit, quam auctore Ruperto Palatino civitates imperiales hoc onere liberatae, *Vogtos* sive *Advocatos* habere desierunt. Generalis, facta etiam utriusque Alsatiae cessione, ab Hispanis ratione Ducatus Luxemburgici praetendebatur, postquam ii suae praetensioni renunciarunt, pace apud montes Pyreneos inita §. 61. diu finem habuit, quae saepe mutavit praefectos, et nunc Pfirtenses, nunc Lutzburgicos, nunc Palatinos, ac demum Austrios habuit, cuius ratio hic non habetur, sed eius duntaxat, quae X. imperiales Alsatiae civitates complectitur, quae salva ipsarum libertate et iure dignitateque a supremo imperii dominio pendente intelligenda est. *Instrum. pac. Osnabrug. §. itemque dictus.* Nam plurimum interest inter supremam et iure proprio ac nemini obnoxio competentem praefecturam, et inter imperium civile, ac verum ratione territorii consideratum dominium. Illa ex pacto pacis VVestphalicae Galliae regi cessa attributaque est, hoc separatam habet rationem, et inter cessionis factae capita adeo non continetur, ut quoque diserte seiungatur. Vnde intelligitur iniquitas postulorum Gallicorum, quando talis iurisiurandi formula ab iis concepta est, ut in argumentum domini ratione territorii competentis valeat. Etenim clare copioseque probari potest atque confirmari, nil praeter dominium *advocatae* et *protectionis* cessum esse Gallo, propter quod sane nullum *subiectionis* iusiurandum debetur. Et si enim in dicto cessionis capite una cohaerensque cessio exprimitur, tamen una diversus translationis titulus indicatur, neque a cessione *Landvogtiae* inferendum est ad cessionem iuris *immedietatis*, quod dictis civitatibus sub imperiali supremo dominio sane expresse luculenterque est reservatum. Neque ab hac sententia nos dimovent literae, quae dicuntur, paritoriae, vulgo nominatae die *Gehorsams-Brieffe* / quippe quae ab Austriis, cum in iusta quietaque Landgraviatus Alsatiae possessione essent, non qua illarum X. urbium imperialium *Advocatis*, sed qua augustis Caesaribus scriptae sunt atque promulgatae. Itaque ingrati erga imperium animi sit, quisquis vim interpretationi adferat, ut praefectura provincialis fraudi sit iuri imperiali, quo fundatae firmataeque sunt hae civitates, ad quarum tuendam quoque dignitatem pertinet *capitulatio Leopoldina* §. 8. *versic.* so dann die 10. vereinte Reichsstadt / ubi instrumentum pacis Monasterii per se lucis plenum declaratur iterum atque in hanc sententiam explicatur. Itaque Austrii Ferdinandinae propaginis, Germanique steterunt conventis pace conditionibus, et maiorem in modum cupiverunt, ut rex Galliae par erga se studium voluntatemque declararet. Sed quemadmodum id usu evenit, acta superiorum temporum satis superque testantur, cum quae sine conditione et clausula Ferdinando Carolo Archiduci persolvenda pecuniae summa promissa esset, post in conditionem pacto Monasterii VVestphalorum inito contrariam, atque in cessionem ab Austriorum propagine Burgundica instituendam

dam reiecerunt, neque prius ad implendum executionique mandandum hoc caput, et reddendas quatuor civitates sylvestres teneri voluerunt, quam sibi illo nomine plene ab Hispanis, a quorum eventuali cessione pactum Monasteriense minime suspensum erat, satisfactum esset. Illud vero primo contigit pace apud Pyrenaeos montes facta, non sine dolore iustissimo Archiducis, qui ius suum nullo suo merito impeditum vere graviterque querebatur. *Eo videatur §. instrumenti pacis Monaster. §. item Rex; et §. 61. pac. Pyren. nec non confutatio querelarum Gallicarum anno 1658. Conventui Deputator. Francosuri* submissa, et paulo post in linguam Germanicam conversa. Neque causa fuit, cur obtenderetur §. Imperator, ubi non conditio, sed modus designatur, effecturos nempe Caesarem atque Archiducem, (ff) ut, quantum in ipsis erat, eadem voluntate paciscerentur Hispani, non sane ut eventum, quantum et hic tandem non defuit, praestarent, sed ut studium animumque suum ad propositum hoc consequendum serio inclinatum declararent, quem profecto etiam ita declararunt, ut nullis laboribus, nullis molestiis atque sumptibus pepercerint, sed omni studio conatuque pro hoc capite ab Hispanis quoque implendo allaborarint. Contra Galliae rex ingravescentibus quotidie querelis adeo non medicinam adhibuit, ut etiam vulnera et plagas reipublicae saepius inflixerit, iuraque imperii suis sane finibus constituta et recte confirmata infregerit, X. Alsatias civitates oneraverit graviter atque afflixerit, Abbatiam Monasteriense urbis in valle S. Gregorii, cuius coenobium et totius Alsaciae antiquissimum, et a Dagoberto Francorum rege conditum est, in parte privilegiorum turbaverit, cum Ordine equestri Alsaciae durius egerit, et finitimis imperii Ordinibus multas magnasque molestias exhibuerit, actalia subinde agi fierique permiserit, quae pacis minime amantem indicarent. Ne nunc addam offensiones alias ex eo natas, quod civitates Argentoratū et Spira Nemetum multas iniurias passae fuerint, et licet iuris innocentiaeque suae causas exponerent, tamen in multa pericula inciderint, et tranquillitate, pro qua retinenda nullū alioqui laborem recusarunt, frui non potuerint. Neque meliorem gratiam caeteri finitimi inierunt, neque Basileensi Episcopo tenendae in Comitatum Pfuretarum praetensionis cupido invidia metusque; minui prius potuit, quam honori suo patientiam accommodaret, ne, si nihil cupiditati potentioris, cuius neque vim, neque conatum inhibere posset, remitteret, se suaque in praesentissimum discrimen adduceret. Ab his

Zzz 3 (c)

initis

(ff) An. 1660. in solidum iure suo cessit Ferdinandus Carolus, et non modo Alsaciae ac Sundgoviae, sed etiam Comitatus Pfuretarum, qui in pacto pacis VVestphalicae non nominatur, et ut supra dictum, lege beneficiaria ad Antistitem Basileensem pertinuit, necessitate postulorum Gallicorum victus renunciavit. V. Lund. l. IX. Act. publ. p. 732. seqq. De rumore permutandae Alsaciae, cuius titulum etiamnum usurpant ex Austria Caesares, vid. Brevv. l. 3. p. 316.

initijs dominatio Capetina in limite nostrae gentis crevit, et inter superiora disfidia cunctationesque incrementa cepit, latius progressura, nisi prudentia auctoritasque Caesaris felicibus patriae auspiciis tandem aliquando inhibuisset, et LEOPOLDI nomen Austriae semper faustum (gg) iam quoque Germaniae ac universo imperio felix fortunatumque redidisset. Cui Victori hostum atque tertium Sponso triumphos pariter atque novas Palatinas Neoburgicas necessitudines, quibus magnitudinem potentiae firmat, et praepotentes familias amicitia foedereque coniungit, et se resque suas animis viribusque auget, laeti ac libentes gratulamur, precati, uti sanctum illud foedus auspicato ineatur, ac deinceps augustum decus in Filiis Nepotibusque, quos sperat posteritas, summa cum eius stirpis gloria amplificetur iuxta atque propagetur.

(gg) *Id non mediocriter usu probatum est a LEOPOLDO GLORIOSO, huius nominis in serie Archiducum I. tum a LEOPOLDO PROBO, bellicarum artium in primis gnaro, et expertae fortitudinis, cum apud Sempachium animose contra Helvetios pugnans cecidisset: dehinc a LEOPOLDO PVLCHRO, qui alius crassus dictus est, ac impetum Vngarorum, Bohemorum atque Moravorum sustinuit, et pericula maxima in consilium vertit: post a LEOPOLDO SANCTO, qui plus semel exercitum victorem reduxit, et Stephanum Vngariae regem vicit, Austriamque famam factis et consilio munivit, a LEOPOLDO MITI, qui Baioaros in potestatem redegit, a LEOPOLDO qui virtutis elogio celebratus, Augustara domum novis insignibus auxit, infideles debellavit, et Richardum Anglum imperii insulas prensantem mox captum custodia attinuit, a LEOPOLDO quem honoris titulus distinxit, qui Saracenos prostravit, Damiatbam expugnavit, et quoddam belli contra barbaros fulmen fuit, a LEOPOLDO VIII. qui Henricum VII. Imp. auctoritate sua corroboravit, et Sveviae Ducatum, renovata ritus beneficiarii in auguratione familiae suae confirmavit, a LEOPOLDO IX. qui et gentis suae flos, et Nobilium caput, et Germanorum sane bonus fuit, a LEOPOLDO X. qui consilio et iustitia Austriam munivit, et Neostadio castro validissimo arcem imposuit, quibus certe maior est LEOPOLDVS AVGVSTVS, omnibus, qui ipsum praecesserunt, gloriosior, quippe non tantum Austriae, sed Imperii etiam prospero omine successuque instaurator.*

XXXIX. PROPOSIT. (DE OCTAVIO AVG.)

Octavius Augustus quartum COS. bellis civilibus finem imposuit, qui antea triumvir, et Antonii Lepidique collega, post victoriam Actiacam pacis bellique iura constituit, et quae triumviratu egerat, plane rescidit atque abrogavit, et plena adeo summaque potestate imperavit.

Distin-